

scio cur, ex *Theodoro* se ista transcribere. Quibus ut fidem
 derogemus, cum ex antiquiorum citra dubium monumentis ea
 hauserint, nulla ratione inducimur. Quæ enim recentiores
 nonnulli tradunt, de Clero Philemonem fuisse, eumque vel lo-
 ci Episcopum, ut *Anselmus*, vel alium Ecclesiæ Ministrum, ut
 immortalis gloriæ Theologus, *D. Gerbardus*, in Exegesi §. 269.
 vel Diaconum Colossensem, ut hujus quondam Academiæ Lu-
 men, *D. Quistorpius*, ea conjecturis vero tantum similibus ni-
 sentur, quibus nullam Autores ipsi certitudinem adscribunt. In-
 primis fabulam sapit vel somnium, quod *Anselmus*, vel quis-
 quis eorum Commentariorum Autor est, ex Philemone Epi-
 scopum facit, credo quod in mente habuerit sui ævi Episco-
 pos, qui nescio quo servorum famulorumque syrmate stipati
 incedunt. Verum enim Colossensis Ecclesiæ Pastorem, ejecto
 forte in exilium, aut abducto in captivitatem Epaphra, Co-
 loss. I, 7. cap. IV, 12. 13. Archippum fuisse, quem ideo in hac
 ipsa ad Philemonem Epistola τὸν συσργάτην σὺ, *Commilito-*
nem suum appellat Paulus, ignorare nos non sinunt ipsius Pauli
 verba: *Dicite Archippo, respice ministerium, quod suscepisti in*
Domino, ut illud completes. Coloss. IV, 17. Argumentum, quod
 pro Ecclesiastico Philemonis officio ex eo quidam desumunt,
 quia Paulus eum vocat *συνεργον* seu cooperarium, jam olim
Ambrosiaster refutavit: *Quamvis, ajens, Clericus non fuerit Phi-*
lemon, tamen intererat Ecclesiasticis necessitatibus causa devotio-
nis; unde participem hunc dicit laborum. Fustiusque *D. Ægidius*
Hunnius, ostendit; *συνεργῶν* encomium non Clericis tantum,
 sed & Laicis, imo mulieribus, ceu Priscillæ, Rom. XVI, v. 3. à
 Paulo tribui, quia & hæc pro modulo suo cursum Doctrinæ E-
 vangeliæ suis non modo precibus, sed etiam Consiliis & Ope-
 ribus enixe provehebant, quod fecisse Priscillam refertur in A-
 ctis, cap. XVIII, 26.

§. 7. Locus, in quo Philemon habitabat, & ad quem
 Epistola directæ fuit, Colossis est, urbs Phrigiæ, Laodiceæ vi-
 cina. Id constat omnium Veterum asseveratione; E quibus
 & *Hieronymus* argumenta omni exceptione majora producit,

B

utpote